quãdo manifeſtè ſalutẽ noſtrã lædere nequit, ſæpè per opera carnis, q̃ agimus clanculũ eſca illata, diuitias noſtras auehit omnes. Quando videt nos à manifeſtis vitijs abhorrere, & fugere Intemperãtiam, Continentiã verò amplexari, & iterũ auerſari Auaritiã, odio habere Iniuſtitiã, ridere & contẽnere delicias, ieiunijs autẽ & precib. vacare ac Eleemoſynis dare operã, tunc aliũ cõminiſcitur dolũ, quo peſſundet omnes noſtras opes, operaq́ʒ noſtra faciat inutilia. Nam eos q magna cõſtantia machinationes eius vicerũt facit vt bonis operibus infletur, & ad humanã ſpectent gloriam, quo ſcilicet à vera eos gloria faciat excidere. Quòd manifeſtũ eſt ex ijs, q̃ Phariſæo acciderũt, qui ut magna de ſe ſenſit, & Publicanum contẽſit, ſubitò deterior factus eſt Publicano, & ſe nudans exhaurienſq́ʒ, & omnes Virtutũ diuitias lingua ſua effudit, pertulitq́ʒ rarũ & nouũ naufragiũ; apprehẽſo enim littore, omnes merces ſuas ſimul perdidit. Quãto autẽ proximiorẽ finẽ mundi Diabolus pſpicit, tãto crudelius contra nos ſæuit, vt qui citò ſe dãnandũ cognoſcit, plures ſibi in pœna multiplicet, cũ quib. vtiqʒ ſine fine crucietur.

Paulò inferius.

Luc. 18. 11.

Auguſtin. lib. de rectitudine Cathol. cõuerſat.

Quæ cùm ita ſe habeãt, quis noſtrûm, Prudẽtiſſime Senator, ad *Deũ Protectorẽ & Liberatorẽ* noſtrũ potẽtiſſimũ clemẽ-